DIATRIBE ACADEMICA JURIDICA DE FAMOSIS LIBELLIS VULGÒ PASSQUILLEN. QUAM AUCTORITATE ATQUE...

Ernst Friedrich Schröter, Johannes Jauditz, Valenti Gonzaga





PROLOGUS.

TAntùm abeſt, ut Paſquillus ab illo Romanorum Hierarcha, Hadriano nimirum VI, aboleri, atque in Tiberim præcipitari juſſus, *Scipio Gentil. Orat. de Maledict. in Princip.* hodierno adnùc tempore in publicum privatumque præjudicium ſtet incolumis, ut non Romæ ſolùm, verùm omnibus ferè terrarum locis memoria ejus ſuperſtes cujuslibet boni Viri famam famoſis inquinet libellis. Quid? quod non privata ſaltem tecta, ſed gemmea quoque Magnatum Palatia Regumque turres omnibus temporibus perreptaſſe & Gangrenæ inſtar longè lateque tyrannidem ſuam exercuiſſe, deprehendimus. Quot enim tela Carminum famoſorum acuta Julii maximè Tiberiique Cæſarum pectora confixerint, Svetonius in eorundem Vitis ſat benè retulit. Unicum tantùm Neronis Exemplum in medium produxiſſe ſufficiat, quo de *Xiphil. in Ner. p. 165.* hæc ferè verba facit: Nero, cùm à cæde materna Romam rediret, culeum ejus Statuæ cum hac Inſcriptione affigebant:

Nero, Alcmæon, Oreſtes, Matricidæ.

Quibus verbis adſtipulatur & *Sveton. in Vita Neronis cap. 39. & cap. 45.* inquiens: Statuæ ejus à vertice currus appoſitus eſt, cum inſcriptione Græca: *Nunc demum Agona eſſe & traheret tandem.* Alterius collo & Aſcopera deligata, ſimulque Titulus: *Ego quid potui; ſed tu culeum meruiſti.* Neque quos in eundem compoſitos divulgarunt verſus oblivioni ſunt tradendi, ità ſonantes:

Quis negat Æneæ magna de ſtirpe Neronem?
Suſtulit hic Matrem, ſuſtulit ille Patrem.

Quibus tamen maledictis & hominum conviciis nihil eum patientius

entius tulisse, Svetonius d. l. testatur. Ast non Antiquitatum tantùm, sed & propioris ævi extant Exempla. Unus omnium in medium prodeat magnus magnæ Britanniæ Rex Carolus I. Proh Deûm, hominumque fidem quot stigmata, quot calumniarum, myriades optimi hujus Principis, antequam Martyr esset coronatus, famam oppugnârunt? *Conf. A. Gryph. in Not. ad Carol. Stuard.* Videmus itaque Sophoclis illud esse verissimum: A vitiosis nemo immunis. Neque hoc maledicentiæ Vitio non infimos tantùm & obscuros ex plebe homines; verùm etiam quibus de meliori luto finxit præcordia Titan, hominum sæpè sapientissimos imbutos esse patet. Quid quæso C. Salustii in Ciceronem & hujus in eundem Declamationes mera in se convicia continentes sunt, quam scripta famosa? Quis negabit Valerii Catulli Epigrammata Mamurræ nomine ad Julii Cæsaris contumeliam esse composita? Tantùm quoque abest, ut hoc seculo apud Viros sapientiâ excellentes detestandum illud crimen altas egerat radices, ut Justus quoque Lipsius Satyrâ Menippæâ calamum in laurum poëticam impotentiùs strinxerit, orbique deridendam exposuerit, quanquam non sine gravi Imperii Procerum animadversione, ut ipse *Centur. 1. Miscell. Epist. 23.* fatetur; *Satyram ego nuper scripsi, & illa me penè proscripsit.* Quâ occasione hanc in transitu appositè annectimus quæstionem: *Utrum Poëtarum Satyræ, ut sunt Juvenalis, Persii, Horatii &c. sint habendæ pro carminibus famosis?* Atque hoc modo distingvimus; aut Carmen Satyricum est compositum dolo & occulto nomine, certum aliquod subjectum diffamans, & sic affirmativam procedere sententiam putamus. Requiritur enim ut Carmen sit famosum dolus & affectus injurandi *l. 3. §. 1. ff. de Injur. & F. L. l. 34. pr. ff. de O. & A.* item compositio occulto nomine facta. *Dn. Phil. in usu pract. ad Inst. lib. 4. Ecclog. 26. n. 7.* Aut Satyra ἀπροσώπως de vitiis dicat, quod omni tempore licitum fuisse post *Victorin. Trautmann. in Epist. quâdam Apolog.* testatur *B. Nicol. Henel. ab Hennenfeld in Otio Uratisl. cap. 34.* cum hoc quidem modo vitia, non homines lædantur. Quò & facere videtur quod festivus ille Fabulator *Phæd. lib. lib. 3.* scripsit:

Neq;

Neq; enim notare singulos moris est mihi,
Verùm ipsam vitam & mores Hominum ostendere.

Et sic cum superior ratio cesset, negantium castra sequi satius arbitramur. Cum autem, ut è diverticulo in Viam redeamus, Famosus libellus sit crimen gravissimum, gravissimâ quoque pœnâ vindicari constat; severâ enim Divorum Valentiniani & Valentis Impp. Constitutione *in l. un. C. de Famos. Libell.* ultimum illi supplicium decretum legimus, id quod Lex quoque X viralis minabatur affirmante *Cic. lib. 4. de Rep. Nostræ,* inquit, *12. Tabulæ, cùm perpaucas res capite sanxissent, in his hanc quoq; sanciendâ putaverunt, si quis carmen condidisset, quod infamiam adferret, flagitiumq; alteri.* Et licet omnia pœnarum percurrere nomina possem, quibus in nequissimos sceleratissimosque illos honorum fures, ut ille JCtorum in Germania, dum vixit, Princeps & nostri temporis Oraculum *B. Carpz. in pract. Crim. p. 2. Q. 94. n. 1.* injuriantes & calumniantes appellitat, Justitiæ Severitas animadvertat, nihil tamen obstat, quò minus illud Poëtæ obtineat:

Quâ sol condit equos, quâ terris manè reducit,
Cunctæ referta dolis sunt loca, cuncta malis.

Deliberanti enim mihi quodnam profectuum meorū specimen, pro inveterata illa usuque comprobata consvetudine placidæ Eruditorum Censuræ submitterem, Fama hæc forte fortuna percrebuit, Patriam quoque nostram dulcissimam in sinu angvem fovere, qui in Civium quendam non postremum maledicentiæ suæ virus, nescio quâ temeritate, affixo publicè Pasquillo, evomere ausus fuerit, id quod incredibili admiratione injectâ, hanc de Famosis Libellis materiam, quantum quidem ingenii viriumque poterit imbecillitas, enucleandam calcar & stimulum addidit. Proindè oculum ad metam, quam proposuimus, dirigamus, & paulò uberiori verborum tramite hâc de materiâ differentes insistamus; verùm cum primordia capienda sint à Diis, & ut ipse Sacratissimus Imperator Justinianus *in l. 2. C. de Offic. Præf. Prat. Afr.* monet, in Divini Numinis nomine ad omnia consilia, omnesque actus semper esse progrediendum, optimo jam jure monitis

nitis tàm salutaribus morem gerentes, pia ex imâ Cordis abysso suspiria emittimus, velit splendidissima divinæ Majestatis Pharus, nostrum amplivago Disputantium Oceano sese committentem sermonis lembunculum à spissis cimmeriisque errorum tenebris & dubitationum Syrtibus in consentaneam Juris atque æqui viam clementer deducere, ut omnia cedant Feliciter! Feliciter!

Caput I.

De Definitione Famosi Libelli tùm nominali, tùm reali.

Th. I.

PRiùs in altum quàm vela damus, justum rei initium facturi in nominis primò notationem, & ut JCtus Julianus *in l. 13. §. 5. ff. de reb. dub.* loquitur; Quid sit de quo quæritur, ex merito inquirimus, quia nominum interpretatione, ut incomparabilis Scaliger *Exerc. 1. Sect. 1.* judicavit, in ipsius quoque rei perceptionem provehimur, & omnis inspectio Etymologiâ cognitâ planior atque plenior est, *verba sunt Isidori.* E re itaque est & necessarium, ne illotis ad ipsius statim rei penetralia manibus progressum faciamus, ut prius nomen atque definitionem evolvamus, pauxilla ergò hanc in partem adferre, haut pigrabimur.

Th. II. Bina vocabula, quorum cunabula sunt investiganda, h. l. occurrunt; De quolibet seorsim agere volumus. Atque quod attinet vocabulum Famosus, sciendum, illud descendere à voce Fama, quæ à Fando derivatur, & æquivocâ atque ambiguâ accipitur significatione, eâque tùm bonâ, tùm malâ. Benè & pro laude ponit *Virgil. lib. 1 Æneid.*

—— —— Famâ super æthera notus

Et lib. 7. Æneid.

—— Ne noster honos, infractaque cedat
Fama loco —— —— —— ——

Sic in bonam plerumque partem sumitur in Jure, & idem est ac existi-

existimatio, cui opponitur infamia *Schnob. Disp. ff. III. Th. VIII.* Deinde quæ eodem Virgilio *lib. 4. Æneid.* dicitur:

Tam falsi pravique tenax, quàm nuncia Veri.

Fama propriè sumitur pro Relatione, item pro Rumore, *qui sermo est sine certo Autore dispersus, cui malignitas initium dedit, incrementum Credulitas* ut ait *Fab. lib. 5.* & hâc in significatione hodiè hoc frequentius vocabulum malè interpretamur, ità ut illud denotet **einen bösen Nahmen / ein böse Gerüchte / oder Geschrey**/quod Tertullianus *in Apologetic. cap. 8.* comprobans, *Natura*, inquit, *Fama omnibus nota est, vestrum est Fama malum, quo non velocius ullum &c.* Hinc tanquàm ex Equo Trojano vocabulum FAMOSUS suos duxit natales, quod in toto quoque Juris corpore JCti malè frequentiùs interpretantur, prout h. l. sumitur; legimus enim famosos fures, *l. 3. §. 1. ff. de Offic. Præfect. Vigil.* famosos Latrones. *l. 28. §. 15. ff. de Pœn.* famosa actio. *l. 7. in pr. ff. de Injur. & F. L. l. 1. ff. de dolo malo.* famosum carmen. *l. 21. ff. de Testib. l. un. C. de Famos. Libell.* non obstante Plinii & Taciti Autoritate, quorum ille *lib. 9. Epist. 13.* Famosissimus Exercitus hic verò *lib. 5. Histor. in pr.* Hierosolyma Urbs famosa habet, ubi hoc vocabulo in bona utuntur significatione. Sic Imperator quoque noster gloriosissimus & Legislatorum Alpha Justinianus hoc vocabulo cum laude utitur, cum *in Auth. Jusjur. quod præst. ab his qui admin. susc. &c.* hæc verba: Famosissimis Præfectis occurrant.

TH. III. Hoc absoluto, nunc ordine pergimus Libelli quoque vocabulum consideraturi, quod etiam variè & æquivocè sumitur; Non enim hoc loco intelligitur Actionis Libellus, qui est scriptura, quâ id, quod nobis debetur, persequimur, nostrisque vocatur **die Klage.** *Vultej. in Comment. Inst. de Act. in pr. n. 46.* Neque quomodo Catullus *Epigr. 52.* Libelli vocem accipit, scilicet pro taberna libraria, canens:

Te Campo quæsivimus minore,
Te in Circo, Te in omnibus Libellis.

Libellus h. l. est explicandus; sed quem volumus libellus propriè scriptu-

ſcripturam brevem v.g. Epiſtolam ſignificat; quia enim diminutivum eſt libellus, à vocabulo Liber, cujus ſignificatione non tam Codex, quàm ſcriptura ſeu Epiſtola venit (*quemadmodum Cornel. Nep. Lyſandro ſub fin. librum gravem, multis verbis conſcripſit*) cur non libellus cum primitivo ſuo eâdem gaudeat ſignificatione? Et hæc dicta ſunt de FAMOSI & LIBELLI vocabulorum definitione nominali, quæ conjuncta deteſtandum illud ſcripturæ genus, quod emendaturis ignibus datum volunt Divi Valentinianus & Valens Impp. *in l. un. C. de Famoſ. Libell.* indigitare ſolent, quod vulgò dicitur ein Paßquill.

TH. IV. Paululum hàc adhuc occaſione ſubſiſtere, atque cur, aut undè Famoſi Libelli Pasquilli dicantur, animo pauciſſimis inveſtigare ſedet. Idque vel pueros, qui nondùm ære lavantur, haud ignorare, neminemque dubitare exiſtimo, Romæ hujusmodi Chartis famoſis ad Pasquilli cujusdam ſtatuam affixis, non Prætextatos Civitatis Proceres, non Purpuratos Curiæ Romanæ Palatinos, Cardinalesque modò; ſed Pontifices etiam maximos rerum Dominos, ſummosque Monarchas, incredibili licentia vellicari, illorumque facta ignominiosè notari. *Conf. Otium Vratisl. Nicol. Henelii ab Hennenfeld. cap. 34.* At quis tamen Pasquillus ille fuerit, utrùm Pasquinus rectiùs, quàm Pasquillus vocetur, non ultima hiſtoricorum lis eſt. Sunt qui gladiatorem fuiſſe perhibent, idque vel ex eo probare conantur, quod poſt ejus mortem marmoream ipſi ſtatuam gladiatorio exſtruxerint habitu; verùm veriſimilor arridet Andleri animus, à quo beatus quoque Henelius Vir æqui bonique conſultiſſimus d.l. *Bejold. in Theſaur. pract. lit. P. verb.* Paßquill. & *B. Carpz. in Pract. Crim. p. II. Q. 98. n. 3.* diſſentire haud videntur, quippè qui *lib. 4. Tit. de Injur. 4. Medull. Jur. Juſtinian.* ita diſſerit: *Libelli famoſi quas vulgò Pasquillos vocant, ita dicuntur à ſtatua Pasquilli Sartoris Romani, virulentiæ vitio & maledicentiæ flagitio notiſſimi, ad cujus truncum famoſi Libelli affigi ſolent &c.* Quibus tantis Viris & nos lubentes hìc ſubſcribimus, videntes in hunc usque diem famoſos Libellos à Romano hoc Pasquillo vulgò dici Paßquillen.

TH. V. Demonſtratâ Famoſi Libelli Etymologiâ, curſum nunc ad Synonymiam intendamus; Homonymiam enim quod concernit,

concenit, quid nobis hic cum longis tibiis, præsertim cùm satis expeditam fuisse in Thesibus 2. & 3. antecedentibus arbitremur? Dispecturi igitur, quæ cum famoso Libello congruentem habent significationem, ejus scilicet Synonyma ex diversis Autorum hortulis unum atque alterum decerpamus. In limine Ovidii, Horatiique Poëtarum occurrit Autoritas, quorum hic pro famoso libello *lib. 1. Od. 16.* criminosus jambus, ille verò *lib. 1. de Remed. Am.* mordax jambus, ponit. Jambus autem in scriptis utplurimùm injuriosis Veteres adhibere solitos fuisse, & quidem hanc potissimum propter rationem, quoniam hi versus aptiores injuriis sunt, & jambus vehementiam affert genusque contortum reddit dicendi, testis est *Scholiastes ad Horat. d. od. 16. lib. 1.* Sicque illis usus est Archilochus Poëta ut *Horat. de Art. Poët.* testatur:

Archilochum proprio rabies armavit jambo.

Quò fortè & Svetonius respexit qui in Vita Julii Cæsaris *cap. 37.* pro injuriari, jambicis proscindere literis mandavit. Dicuntur porrò Famosi Libelli *eod. Horat.* Opprobriorum tabulæ *lib. 2. Serm. Sat. 1.* Carmen malum. *Arnob. lib. advers. Gent. 4. Horat. d. l.* Carmen famosum. *l. 21. ff. de testib. l. 18. ff. qui testam. fac. poss. l. un. C. de Famos. Libell.* Liber ad infamiam. *l. 5. §. 9. ff. de Injur & F. L.* Chartula famosa. *d. l. un. C. de Famos. Libell.* Chartula dentata *Erasm. in Colloq.* Canticum famosum. *Paul. 5. sent. 4. §. 15.* Historia famosa. *§. 1. Inst. de Injur.* Epigramma famosum *Gothofr. in not. ad d. l. 5. §. 9. ff. de Injur. & F. L.* & à Dd communiter, Programma & scriptum Famosum appellantur. Germanicè denique ein Paßquill/Schmähkarte/Schand-Brieff/Famos-Schrifft/&c.

TH. VI. Ante autem quàm ad realem Famosi Libelli definitionem tanseamus, disquirere adhuc lubet, quonam scilicet seculò & quâ Patriâ primùm sint enixi? Atque cùm veram temporis seriem non possimus attingere, accuratiori supersedentes indagationi Romana Historiarum volumina evolvamus, ex quibus Neronis atque Augusti Impp. ætatibus ejusmodi crimen usu jam tum invaluisse liquet. *Conf. Sveton. in Vita Neronis cap. 39. & 45. Tac. lib. 1. Anal. cap. 72.* Quid? quod multorum ante annorum memoriâ trecentesimo ab V. C. seculo, florente Decem viratu,

ejusmodi libellos notos fuisse *Cic. 4. Tusc. quæst.* testatur. *Declarant*, inquit, *12. Tabulæ condi jam tùm solitum esse carmen ad alterius injuriam &c.* At quæ Patria illis sit adscribenda nostrum hic non multum erit rimari. Sunt tamen qui putant, à græcanica Poetarum Licentiâ, in Comœdiis suis & scenâ homines impunè traducentes, in quemvisque quidlibet dicentes ac scribentes promanasse. *Vid. Otium Vratisl. B. Henelii ab Hennenfeld cap. 34.* Idque vel ex eo demonstrare satagunt, quod leges 12. Tabb. Famosi Carminis pœnam statuant, cùm autem leges illæ à Græcis sint petitæ, hinc ante satis diu quàm accitæ sint, apud Græcos detestandum hoc crimen viguisse, sequitur. Quocunque verò modo se res habeat, liberum hâc in parte cuique relinquentes arbitrium, quid statuamus, non satis constat.

Th. VII. Nunc, uti in omnibus rebus, id quod ex omnibus suis partibus constat, perfectum esse animadvertamus *l. 1. pr. ff. de O. J.* meritò verborum cortice relicto, ad fores Dissertationi pandendas rerum sectemur nucleum, atque juxta Dialecticorum scita Famosi Libelli Definitionem, quæ variis variè describitur, investigemus; Nobis autem hæc in præsentiarum perplacuit: Famosus libellus est injuria scripta, (*B. Dn. Hahn. in Not. ad Wesenb. π. ff. de Injur. & F. L. n. 19.*) quâ non subscripto Autoris nomine (*Dn. Brunnem. Exercit. Justin. 25. ad §. 1. Tit. de Injur. 4.*) notabile aliquod crimen (*Magn. Dn. Struv. Syntagm. Jur. Civ. Ex. XLIIX. Th. LXV.*) ob quod Vitæ, corpori vel Famæ pœna irrogari potest (*Dn. Brunnem. d. l.*) & quidem falsum (*Schneidew. ad §. injuria de Injur. n. 6. & Dn. Brunnem. d. l.*) ad infamiam alicujus. (*Dn. Struv. d. l.*) dolosè objicitur. (*Idem d. Ex. XLIIX. Th. LII. & LXVI.*

Th. IIX. Famosus autem Libellus, qui species est sui generis, scilicet Injuriæ, distingvitur ab injuria scripta in specie sic dicta. *B. Carpzov. Pract. Crim. p. 2. q. 98. n. 50.* & differunt (1.) ut genus & species. Omnis enim Famosus Libellus est injuria scripta; sed non contra omnis injuria scripta est Famosus Libellus. *B. Dn. Hahn. in Not. ad Wesenb. π. ff. de Injur. n. 19. B. Carpz. p. 4. C. 44. D. 5. n. 2.* (2. Ratione materiæ. Famosus Libellus ad infamiam

famiam alicujus in Populum ſpargitur, & notabile aliquod crimen continet *l. 5. §. 9. l. 15. §. 27. ff. de Injur. & F. L. Magn. Dn. Struv. Syntagm. Jur. Civ. Ex. XLIIX. Th. LXIV.* v. g. Latrocinii; Cœdis, adulterii &c. *Weſenb. in ſupplement. ad Schneidw. §. injuria n. 1. lit. B* cujus pœna vel capitalis vel corporis afflictiva eſt. P. H. O. *art. 110.* ibi: Peinlich geſtrafft werden möchte. *l. un. ibiq; Dn. Brunnem. C. de Famoſ. Libell.* Sed injuria ſcripta materialiter conſiderata, nullum tale crimen verùm contumeliam tantummodò aliquam, abſque tamen infamiæ nota objicit. *Dn. Ludw. Exerc. ad Inſt. 15. Th. 6. lit. H.* ut, ſi quis ſpurius in ſcriptis nominetur, aut in generè criminis arguatur, ſi v. g. criminoſus, ſceleſtus, nebulo, item luſcus, claudus, Novitius vulgò ein Pennal, aliovè contumelioſo nomine ludibrii causâ appelletur & traducatur. *Weſenb. d. l. B. Carpz. Pract. Crim. p. 2. q. 98. n. 51.* (3.) Ratione ſubſcriptionis. Ea enim ſi adſit, Paſquillus non eſt; ſed injuria ſcripta. *B. Carpzov. d. l. n. 35.* Quod ſi verò nomen Autoris non ſit ſubſcriptum, ſcriptura pro Famoſo omninò Libello habetur. *l. un. C. de Famoſ. Libell.* R. Aſ. *de Anno 1548. Tit.* von Schmäh-Schrifften. P. H. O. *art. 110.* ibi: und ſich nach Ordnung der Rechte mit ſeinem Tauff- und Zunahmen nicht unterſchreibet. Siquidem Famoſus libellus vulgò ſic definiri ſolet: compoſitio occulto nomine facta. *B. Carpz. d. l. n. 33. Speidel. in Specul. Juridico-politico-philolog. in verb.* Paßquillen. Hinc qui chartulis ejusmodi famoſis nomen ſubſcripſit, illum Paſquilli inſtar Compoſitoris non puniri; ſed injuriarum ſaltem actionem contra eum competere docet Togatorum ille doctiſſimus *B. Carpz. p. 4. C. 44. D. 3.* ubi ſequenti Scabinorum Lipſienſium præjudicio ſuam ſententiam confirmat: Ob wohl G. M. in einer offentlichen Schrifft euch mit Injurien übel angelaſſen/und unter andern auch begangenen Ehebruchs bezüchtiget ꝛc. Dieweil er aber dennoch ſeinen Nahmen nicht vertuſcht; ſondern denſelben unterſchrieben ꝛc. So mag auch ſolche Schrifft für ein recht Famos-Libell und Paßquill nicht gehalten/noch G. M. mit der Straffe ſo in der peinlichen Halsgerichts-Ordnung/auff die Famos-Schrifften geordnet/beleget werden/es iſt aber euch actio-

 ne

ne injuriam ihn zu belangen unbenommen/V.R.W. *Add. Dn. Bechmann. Rector hodiè Magnificus Praeceptor atque Patronus meus omni reverentia cultu perpetim prosequendus Tom.II.p.2. Exo ter. Exer. 7. n. 51.* (4.) Ratione Effectûs. Major enim est Famosi Libelli pœna, quàm simplicis injuriæ scriptæ, cùm sit majus crimen. *Wesenb. in supplement. ad Schneidw. d. l.* & Famosus Libellus parit actionem injuriarum. *§. 10. Inst. de Injur.* quam & præ actione Famosi Libelli eligere læso liberum est. *B. Carpz. d. C. 44. D. 5, n. 5. Prælaudatus Dn. Bechmann. d. l. n. 52.* Sed non è contrario injuria scripta parit actionem Famosi Libelli. *B. Dn. Habn. in Not. ad Wesenb. π. ff. de Injur. n. 19.* (5.) Ratione Præscriptionis. Scriptæ injuriæ actio est annalis. *Magn. Dn. Richt. JCtorum hujus seculi Phœnix, Vir avi maximus maximeq; venerabilis P. I. Decis. 21. n. 4. B. Carpz. Pract. Crim. p. 2. q. 98. n. 53.* scripta enim injuria verbalis censetur injuria *l. 1. §. 1. ff. de Injur. & F. L.* quæ utique anno terminatur *per text. express. in l. 5. C. de Injur. Add.* Schulz. *Synops. Inst. de Injur. lit. I.* qui hanc sententiam ex Novellis Sereniss. Elect. Sax. Augusti. *p. ult. C. 46. §. f.* confirmat & *Magn. Dn. Richt. d. l.* ubi in Collegio Juridico, quod Jenæ est, Anno 1625. Mense Septembris ita responsum fuisse testatur: Wenn ihr gleich den Wendel Rumpelern den ältern am 21. Junii jüngsthin schrifftlich injuriret hättet/so würden doch dieselben den Wörtlichen gleich durch Verfliessung eines Jahrs præscribirt, V.R.W. quæ tamen sententia in causa & actione Famosi Libelli non procedit, sed cum ex Const. Principum orta sit, perpetuam esse constat *ex pr. Inst. de perp. & temp. act. B. Carpz. d. C. 44. D. 5. n. 57 & seqq.* quam Famosi Libelli præscriptionem, ne confusa Lectorem prolixitate obruamus, in Cap. III. Th. X. rejiciemus.

Th. IX. Dictum fuit in Th. VII. ad Famosum Libellum requiri crimen objectum esse falsum; quid Juris igitur, si verum fuerit objectum crimen, nonne scriptura illa pro Famoso Libello habenda? Rectè hîc cum Dd. distingvimus utrum Veritas criminis objecti Reipublicæ prosit, nec ne? Priori casu negativam sententiam, minimè verò casu posteriori tenendam esse censemus. *Conf. Fiebig. Colleg. Legal. Exerc. 12. Semidec. Q. 4.* Cum ex causa

c d finali

finali dolum *(qui formale hujus criminis est requisitum, ut infra in Cap. II. Th. V. dicetur)* abesse concludimus, quod accidere solet, si scilicet crimen aliàs occultum alicujus nocentis, sed quod notum esse & oporteat & expediat, non in vim & formam convicii, sed alio quovis modo sine affectu injuriandi in scriptis detegit. *Vid. Nicol. Henel. ab Hennenfeld in Otio Vratisl. cap. 34.* Veritatem ab omni omninò pœna liberare, patet *ex l. 18. pr. ff. de Injur. & F. L.* ibi: *eum qui nocentem infamavit, non esse bonum æquum, ob eam rem condemnari &c.* ubi statim generalis apponitur ratio; *peccata enim nocentium nota esse & oportere & expedire*, cujus & sententiæ adstipulatores habemus *Paulum JCtum in l. 37. ff. eod. B. Carpz. in Pract. Crim. p. 2. Q. 96. n. 76. Dn. Ludw. Exerc ad Inst. 15. Th. 6. lit. G. Schneidw. ad §. injuria de Injur. n. 6. & 14. Coras. Miscell. Jur. Civ. lib. 6. cap. 24. n. ult.* Huc quadrat etiam *Horat. lib. 2. Serm. Sat. 1.* ita canens:

——— ——— ——— Si quis
Opprobriis dignum laceraverit, integer ipse.
Solventur risu tabulæ, tu missus abibis.

Expedit autem Reip. (1.) Ne delicta maneant impunita *l. 13. ff. de Offic. Præs. l. 51. §. 2. ff. ad L. Aquil. l. 3. C. de Offic. Rect Provinc.* quia Resp. non præmiis tantùm, sed & pœnis conservatur *B. Carpz. in Pract. Crim. p. 1. Q. 101.* (2.) Ne fortè infames tanquam incapaces ad dignitates admittantur. *l. un. C. de infamib. c. infamibus de R. J. in 6. Magn. Dn. Schröter admirabile Jurisperitorum nostri avi Decus, præsentis Disputationis Præses, Patronus atq; Præceptor meus omni honoris & amoris cultu maximoperè prosequendus in Not. ad Sutbolt. Dissert. 16. Aph. 51.* Accedit, quod nullâ pœnâ afficiatur, sed laudandus prætereà fit, verum crimen salutis publicæ gratiâ objiciens, *per text. in l. un. C. de Famos. Libell.* ibi: *Si assertionibus suis veri fides fuerit opitulata, laudem maximam & præmium à nostra Clementia consequetur.* Modò non objiciat crimen à Principe remissum, vel jamtùm punitum. *l. ult. §. ult. C. de sent. pass. & restit. A. Gail. JCtorum celeberrimus lib. 2. de P. P. c. 19. n. 2.* aut torturâ etiam purgatum. *B. Carpz. in Pract. Crim. p. 2. Q. 96. n. 78.* Veritas enim convicii hoc modo probata, quo minùs teneatur

 pasquil-

pasquillanti minimè proderit. Ex jam itaque dictis & argumento à contrario ducto, illum qui crimen, quod Reip. notorium fieri non interest, objecit, utique teneri, nec, quod verum sit objectum crimen propterea excusari, sequitur, atque ità secundùm hanc distinctionem in suprema Imperii Judicio sæpius judicatum fuisse refert *A. Gail. lib. 2. Obs. pract 99. Add. Schneidw. dd. ll.*

CAPUT II.

De Causis Famosi Libelli externis & internis.

TH I.

TAntùm in Cap. I. de Quidditate Famosi Libelli dixisse sufficiat; nunc velis remisque ad causas ejus examinandas contendere lubet. Sed ut rem ab ovo, quod dicitur, ordiamur, efficientem primò sumus consideraturi, suntque homines mentis compotes, doli capaces & contumeliæ animo quid facientes *l. 53. ff. de furt. l. 3. ff. de Injur. & F. L. l. 5. C. de Injur. Schnob. Disp. ff. XXIV. Th. IIX.* Injuria enim sine dolo & affectu injuriandi haut subsistit. *d. l. 3. §. 1. & arg. l. 4. ff. eod. l. 34. pr. ff. de O. & A. Magn. Dn. Struv. Tract. de Vind. priv. c. 10. aph. 6. n. 1.* & hinc animus injurandi dicitur fundamentum & substantia injuriæ *Matth. Berlich. p. 5. Concl. 60. n. 1.* Proinde in Famosi Libelli crimen, ejusque pœnam non incidere creduntur. (1.) Impuberes, mente capti & furiosi, cùm doli capaces non sint, nec hinc injuriam facere censeantur *d. l. 5. §. 1. ff. eod.* Idem de prodigis tradit *Treutlerus D. 30. Th. 6. lit. A.* cujus tamen sententiam non subsistere Dd. complures testantur. Prodigus enim furioso quidem æquiparatur *in l. 1. pr. ff. de Curat. fur. l. 40. ff. de R. J. l. 6. ff. de V. O. l. 7. §. 12. ff. quib. ex caus. in poss. eat.* ubi ejusmodi hominis status à pupilli conditione non multum abhorrere dicitur; Verum licet bona dilapidando furiosum videatur facere exitum *d. l. 1. ff. de Curat. fur.* & propterea bonis ei sit interdictum, exindè tamen non sequitur, quod doli sit incapax; nam hoc modo & in aliis delictis gravioribus & dolo consistentibus excusandus foret. *Vid. Dn. Brunnem. Exercit. Justin. 25. ad pr. Tit. de Injur. 4.* (2.) Ebrii; Ebrietas enim mentis

tis

tis inducit exilium *c. 14. X. de Vita & honest. Cler.* & comparatur furori *c. 5. dist 35.* & sic per consequens in ebriis abest dolus & peccandi voluntas, quâ causâ cessante cessat & causatum, scilicet Actio & pœna. Sententiæ nostræ firmandæ facit *l. 6. §. 7. vers. per vinum ff. de re mil. & l. un. C. Si quis Imp. maledix.* ubi habentur verba: *Si quis &c. temulentia turbulentus obtrectator temporum nostrorum fuerit, eum pœna nolumus subjugari, neq; durum aliquid, nec asperum volumus sustinere &c. Add. Gothofr. in Not. ad d. l. un. & ibi alleg. Jul. Clar. 5. Sent. §. ult. Q. 60. n. 7. Magn. Dn. Struv. Tract. de Vind. priv. c. 10. aph. 6. n. 2. Schnob. Disp. ff. XXIV. Th. VIII.* (3.) Irati. Ira enim furor brevis est, inquit *Horat lib. 1. Epist. 2.* hinc & in iratis non præsumitur dolus, & inconsultus calor calumniæ vitio caret, nullamque meretur pœnam *per text. express. in l. 1. §. 5. ff. ad SC. Turpill.* maximè si ira sit imodica, & verbis aut factis injuriosis provocata, cùm difficillimum sit justum animi dolorem temperare *l. 38. §. 8. ff. ad L. Jul. de adult. Magn. Dn. Richt. p. 1. Decis. 1. n. 161. Arnold. de Reyger. in Thesaur. Jur. lit. I. n. 188.* (4.) Amantes; sunt enim amentes, & nihil amoris furore vehementiùs esse dicitur *in N. 74. c. 4. in pr.* hinc *Mantuanus lib. 1. Eclog. 48.* non inelegantur canit:

Ludit amor sensus, oculos præstringit, & aufert
Libertatem animi, & mirâ nos fascinat arte.

Si igitur amor Philosophis furoris est species, & ab Imperatore Justiniano *in §. f. Inst. de success. sublat.* ebrietati comparatur, proindè & in amantem dolum peccandique voluntatem cadere dubitamus, atque sicut impetus excusat eum qui subitâ irâ commotus, aliquod delictum committit, ita videtur his, qui amore obcæcati sine deliberatione ex improviso amoris impetu quid perpetrant, aliquo modo indulgendum, proque qualitate perturbationis animi mitiùs agendum cum *Magn. Dn. Richt. d. Decis. 1. n. 178.* censemus, quippe qui *n. 184. d. Decis.* Famosum Libellum contra puellam quandam publicanti ad ordinariam pœnam evitandam amoris exceptionem prodesse, Dd. quosdam putare, asserit. (5.) Rustici; Rusticitas enim dicitur innocens *l. 3. C. de Defens. Civit.* & rustici communiter simplices ac stolidi censentur, hinc propter rerum civilium

&

& forensium ignorantiam per simplicitatem magis, quàm per dolum delinquere creduntur. *Magn. Dn. Richt. d. Decis. 1. n. 192.* Huc quadrat *l. 7. §. 4. ff. de Jurisd.* ubi habetur: *Si quis per imperitiam vel rusticitatem album Prætoris corrupit, ab actione & pœna liberatur &c.* ibi enim Rusticitas dolo opponitur, quo cessante, cessat & delictum Famosi Libelli, quia substantia ejus, ut diximus, dolus est. Quæcunque tamen de Rusticis, quod videlicet eorum simplicitati parcatur, modò diximus, semper de Rusticis non sagacibus & literarum expertibus *post gloss. in l. 6. §. 19. in verb. interdum ff. de excus. Tut.* intelligendum autumat *Arnold. de Reyger. in Thesaur. Jur. lit. R. n. ult. & Magn. Dn. Richt. d. l. n. 191.*

Th. II. Quæritur autem hic: utrum impuberes, furiosi & cæteri, quos in Th. præcedenti prolixo retulimus catalogo, si hoc in crimine delinqvunt, ab omni omninò pœnâ sint excusandi? Atq; sic communem Dd. scholam sequentes benè distingvimus inter impuberes infantiæ proximos & pubertati proximos. In prioribus pœnam cessare verum esse deprehendimus *B. Carpz. Pract. Crim. p. 3. q. 143. n. 30.* ut & in furiosis semper ita constitutis. *l. 12. ff. ad L. Cornel. de Sicar. l. 9. §. 2. ff. ad L. Pomp. de Parricid. l. 14. ff. de Offic. Præs.* cum in omnibus ferè pœnalibus judiciis & ætati & imprudentiæ succurratur. *l. 108. ff. de R. J.* In posterioribus autem cum malitia plerumque ætatem suppleat. *l. 3. C. si minor se maj. dix.* negativam obtinere sententiam, ut & in furiosis intermisso furore indubitati juris est. Licet enim ordinariâ Famosi Libelli pœnâ in eos non animadvertatur, arbitrariam tamen aliquam locum habere Dd. volunt. Quod & in ebriis, iratis, amantibus, rusticis &c. utpotè dolo carentibus, ut anteà diximus procedere arbitramur, facillimo quippe negotio pœnam à Judice mitigari docet *B. Carpz. p. ult. C. 44. D. 2. n. 6. & seqq.* Cæterum quod de ebriis & iratis diximus, omnimodè excusandos esse, non procedit, si perseverantia apparuerit, & delicti pœnitentia vocisque contraria declaratio non accesserit. *l. 48. ff. de R. J. Magn. Dn. Strauch. JCtus consummatissimus in Differt. 19. Th. 13.* Pœnitentia enim hic semper necessaria, aliàs repetita & voluntaria injuria dicenda, atque sic ordinariè punienda esset. *Dn. Brunnem. Exercit. Justin. 25. ad pr. Tit. de Injur. 4.*

Th. III.

Th. III. Circa causam finalem, quæ est existimationis proximi detractio s. diffamatio, quæri potest: An Famosus Libellus honoris quicquam detrahere possit, adeoque nauseam turpitudinis mephitim oleat? Quod negamus *per text. express. in l. 3. C. de Injur. j. l. un. C. de Famos. Libell. Add. Speidel. in Speculo Juridico-politico-philolog. in verb.* **Paßquillen.** Nemo enim per maledicentiam suam & calumniam alterius famæ & existimationi quicquam verè detrahere potest; uti *ex Dn. Franzk. Exerc. Justin. 12. q. 8. n. 7. & seqq. Vir æqui boniq; consultissimus Magn. Dn. Richt. Centur. Reg. Jur. R. 2. n. 45.* eleganter deducit; licet enim injuriarum convictus & damnatus infamiâ notetur, *l. 1. l. 4. ff. de his qui not. infam.* non tamen è contrario infamis fieri potest ab inferente injuriam, qui injuriam passus est, cùm facere infamem non in privati sit potestate; sed infamiam aut lex, aut turpe factum irroget. *l. 2 ff. de Obseq. Parent. & Patron. præst. B. Hahn. in Not. ad Wesenb. π. ff. de Injur. n. 18.* Neque obstat improbabilis illa opificum consvetudo, quâ injuriis diffamatum ex illorum collegiis tanquàm infamem ejiciunt **wenn sie dem Geschmäheten biß nach ausgeführter Sache das Handwerck legen** ità siquidem dicere solent: **Er sey ein gescholtener Mann sie als Zunfft-Brüder könten ihn deßwegen nicht in ihrer Zunfft leiden** Densissimis namque errorum tenebris hæc illorum consvetudo est obruta, & contrarium, quod scilicet opinioni s. Famæ conviciis nihil detrahatur, non *in d. l. un. C. de Famos. Libell & d. l 3. C. de Injur.* tantùm, sed in politicis etiam Imperii Reformationibus observatur. Tit. **Von Handwercks-Söhnen:** in verbis: **Es soll auch derjenige / so geschmähet worden keines weges ausgetrieben / sondern bey seinem Handwerck gelassen / und die Handwercks Gesellen mit und neben ihm zu arbeiten schuldig seyn.** *B. Hahn. in Noth. ad Wesenb. d. l. Magn. Dn. Richt. d. l. n. ult.*

Th. IV. Pertractatis causis externis, in internas hujus delicti causas, materialem scilicet & Formalem quoque inquirere lubet. Materia autem aliàs dividitur in materiam ex qua, in qua, & circa quam, verùm ne pagellæ nimiùs excrescant, nauseamque B. L. faciant, ultimam tantummodò in medium hâc vice

adduxisse

adduxisse sufficiat. Estque Materia Objectiva Liber homo. Servis enim, qui nullum Jus habent, *l.3.ff. de Cap. minut.* proque nullis habentur *l.32. ff. de R.J.* nulla fit injuria *§.3. Inst. de Injur.* hinc & injuriarum agere nequeunt; Actionem enim injuriarum dolorem imminutæ Libertatis mitigare *Cic. in Orat. pro A. Cacina* ait. Atqui Servi hanc nullam habent *l.107.ff. de R.J.* Ergò. Patitur autem quis injuriam vel directò & immediatè per semetipsum scilicet, vel indirectò & mediatè, per alias scilicet personas, & quidem vel (1.) ratione potestatis ei subjectas, ut sunt Liberi, in sacris paternis constituti *§.2. Inst. de Injur. l.1. in f. l 41. ff. eod. l.2. C. eod.* cùm Familia unum sit corpus *l.195. ff. de V.S.* & Persona Patris & Filii ex vi potestatis una atque eadem esse intelligantur. *l. ult. C. de impub. substit.* undè liberorum injuriam ad dolorem paternum porrigi dicitur. *in l.1. & 2. ff. de Liber. caus. l.1. §. 5. ff. de Injur. & F.L.* (2.) ratione affectûs, ut sunt 1. Uxor. *d. §.2. Inst. de Injur. & d. l.1. §. f. ff. eod.* Sicut enim Maritus uxore honoratâ honore afficitur, ità uxore injuriis affectâ injuriâ patitur. *Bald. in l.1. C. de in Jus vocand.* 2. Sponsa. Nam & Sponsa de præsenti uxor dicitur, quò facit *l. 15. ff. de Condit. & Demonstr.* & injuria sponsæ illata etiam sponso illata censetur *l.15. §.24. ff. de Injur. & F.L.* 3. Nurus. Hâc enim injuriis læsâ & Patri ejus naturali & Socero & Marito injuria facta dicitur. *Schneidw. ad d. §. 2. de Injur. n. 11.* Quibus 4. quasi persona annumeratur defunctus, hujus Fama si lacessitur injuriâ, ad heredes, bonorumque possessores spectat. *l.1. §.4. ff. de Injur. & F.L.* Semper enim heredis interest defuncti existimationem purgare *d. l. 1. §. 6. ff. eod. Magn. Dn. Struv. Ex. XLIIX. Th. LVI.*

TH. V. Circa prædicta haud importunè quæri potest, num injuria Cognato facta toti quoque Cognationi fiat, adeoque cuilibet cognato actio competat? Quod *Magn. Dn. Struv. d. Ex. XLIIX. Th. LVI.* subscribentes in dubium vocamus, non obstante text. *in l. 1, 2. & 3. ff. de Liber. caus.* uti habetur: *Injuriam Cognatorum ad dolorem nostrum, injuriamq́; nostram porrigi.* Licet enim injuria in totam communiter familiam quodammodò redundare soleat *arg. l.5. pr. ff. de Injur. & F. L.* minimè tamen sequitur, eos injuriarum actionem pro quovis Cognato injuriato instituere posse. *Dn. Brunnem. Exercit. Justin. 25. ad §. 5. Tit. de Injur. 4.*

Siqui-

Siquidem certæ personæ *in §. 2. Inst. de Injur.* sunt determinatæ quibus & ob quas injuriarum actio datur, & hinc est, quod neque Frater pro Fratris injuria agere queat *per text. in 2. F. 37. Add. Schneidw. ad d. §. 2. de Injur. n. 14. & ibi alleg. Dd.* Et hoc nec de aliis collateralibus asserendum. Injuria enim fratri, Patrueli ac Sobrino facta, his ipsis solis facta est, qui ipsi eam ulcisci tenentur, nec licitum est, ut Patruelis Patruelem, Sobrinus Sobrinum tueatur, cum hi principaliter offensi non sint, neque sint de Personis in præced. Th. enumeratis, inter quas Patriæ potestatis & affectionis maritalis vinculum versatur *Sitbmann. in Idea Arb. Consangv. cap. XI. n. 16.* Et hoc tamen procedit, si injuria vindicanda sit actione civili, non autem criminali. Criminaliter enim accusans ad vindictam agit publicam, & rectè injuriam cognatorum persequitur. Quod ita post *Schneidw. ad d. §. 2. de Injur. n. 14. tradit Idem Sitbmann. in Idea Arb. Consangv. d. cap. XI. n. 7. & ibi alleg. Bald. ad c. 1. §. similiter. Quib. mod. feud. amitt.*

Th. VI. Reliqvum est, ut de Forma, quæ cum materia ipsam rei essentiam constituit, nunc verba faciamus, eaque consistit in dolo & animo injuriandi *l. 34. pr. ff. de O. & A.* & hinc est, quod latâ culpâ scriptum injuria non sit *l. 6. ff. de administrat. rer. ad civit. pert. l. 7. §. 1. ff. de Suspect. Tutor & Curat. Add. Coras. Miscell. Jur. Civ. lib. 4. cap. 1. n. 13.* quo enim cunque modo fiat injuria, pro injuria habenda non est, nisi dolus iste & animus injurandi adsit *l. 3. §. 1. & l. seq ff. de Injur. & F. L.* quos itaque in Cap. hujus Th. I. in medium protulimus dolo carentes, actione Famosi Libelli non tenentur, quemadmodum nec is, qui quod per se injuriosum quidem est, non autem ex proæresi vel affectu injuriandi, sed potius animo jocandi conscripsit, hâc actione conveniri potest. *l. 3. §. 3. ff. eod. ibid. Gothofr. in not. & arg. l. 3. §. f. ff. de O. & A.* modò injuriandi animo libellum non scripsisse probet. *l. 5. C. eod.* Neganti enim injuriandi animum non adfuisse, purgationis interdum defertur juramentum, si scilicet injuria satis perspicua non sit. *Magn. Dn. Præs. in Not. ad Sutholt. Diss. 16. aph. 57. & 59. B. Carpz. p. ult. C. 42. D. 9.*

Th. VII. Hisce autem formis s. modis hæc potissimum injuria infertur (1.) Si quis ad infamiam alicujus Libellum aut

carmen aut Historiam composuerit *§. 1. Inst. de Injur. l. 5. §. 9. ff. eod.* (2.) Si quis scripserit, licet non composuerit. *d. §. 1. Inst. eod.* cum facientem & consentientem par pœna constringat. *l. 6. ff. ad L. Pomp. de Parricid. c. 1. in f. C. 2. Q. 1.* sicut enim Scriptores libri hæretici hæreticorum incurrunt pœnam *l. 6. C. de Haret.* ità & Famosi Libelli scriptores pari cum Autore pœnâ plectere jubet *l. 5. §. 9. ff. de Injur. & F. L.* quò & referendi sunt Typographi Famosos Libellos excudentes, *B. Carpz. p. 4. C. 44. D. 5. n. 1.* **R. A. zu Augspurg** *de Anno 1530.* §. **und nachdem** *Ord. Polit. Francofurt. de Anno 1577. Tit 35.* **von Buchdruckern / Schmäh-Schrifften** *&c.* (3.) Si quis dolo malo fecerit, quo quid eorum fieret *d. §. 1. & §. 11. Inst. de Injur. d. l. 5. §. 9. & l. 11. pr. & §. 3. ff. eod.* quia quod quis per alium facit, per se fecisse putatur. *l. 152. ff. de R. J. l. 1. §. 12. & 13. de vi & vi arm. c. 68. de R. J. in 6.* & aliàs generaliter mandator & mandatarius de dolo tenentur *l. 7. §. 5. ff. de Jurisd.* parique pœnâ sunt puniendi *l. 15. ff. ad L. Cornel. de Sicar.* Et licet inter mandantem & mandatarium nullam oriri actionem tradat *Bernhard. Sutholt. Dissert. 15. aph. 65.* cum rei turpis nullum sit mandatum ut *JCtus Ulpianus in l. 6. §. 3. ff. mandati* ait, attamen quin obligatio, quâ mandans diffamato tenetur, oriatur, nemini dubium erit. *Schneidw. ad §. non solùm de Injur. n. 5. Schnob. Disp. ff. XXIV. Th. VIII.* (4.) Si quis emendum, vendendumque curaverit, *d. l. 5. §. 9. ff. de Injur. & F. L. d. Ord. Polit. Tit. 35.* (5.) Si quis inventum publicè proposuerit, ejusque vim & sententiam alteri exposuerit. *l. un. C. de Famos. Libell.* licet Autorem indicet, quo pertinet illa Germanorum paræmia **Mehr-mann haben hilfft nicht** / cùm & propalans injurias existimationem injuriati ac Autor æque lædat. *Schneidw. ad §. Injuria de Injur. n. 6. B. Carpz. in Pract. Crim. p. 2. Q. 96. n. 70. & seqq.* (6.) Si quis absque literarum consequentia in notam alicujus aliud aliquid produxerit *d. l. 5. §. 10. ff. eod.* utpotè si quis picturâ aut sculpturâ famosâ, item famoso carmine, licet scripto non comprehenso, notabile alicui crimen impegerit. *Magn. Dn. Struv. Ex. XLVIII. Th. LXVII.* De quibus infrà in Cap. IV. Th. I. & seq. dicturi sumus.

CAPUT III.

CAPUT. III

De Effectu Famosi Libelli.

TH. I.

INter ea, quæ natura ipsa dictitat licita esse, & non iniqua, est & hoc, ut qui malum fecit, malum ferat, quod antiquissimum & Rhadamantheum jus vocari *H. Grot. de J. B. & P. lib. 2. cap. 20. §. 1. n. 2.* disertè dicit; qualis enim causa, talis effectus, vulgatus Philosophorum Canon est. Cùm igitur Famosi Libelli fuerint malæ causæ, malum sequi effectum necesse est. Est autem effectus iste nullus alius quàm pœna, jure & legibus huic crimini decreta, & sicut jura extant diversa, ita diversam quoque pœnam huic delicto jura illa sanxerunt. Primum omnium Cæsarem Augustum, Cassii Severi libidine, quâ viros illustres fœminasque procacibus ejusmodi scriptis diffamaverat, commotum, de Famosis Libellis cognitionem specie Legis Majestatis tractâsse Autor est *Cornel. Tac. lib. 1. Annal. cap. 72.* Traxit autem pœna illa originem ex Tabulis X viralibus, fuitque capitalis, affirmante *Cic. l. 4. de Rep. (cujus verba ne battologiâ arguamur B. L. in prologo hujus Disputationis, si placet, legat.)* Quam tamen capitis pœnam D. iterùm Augustus cum fustuariâ commutasse refert *Horat. lib. 2. Epist. 1.* canens:

——— ——— ——— ——— Lex
Pœnaq; lata, malo quæ nollet carmine quenquam
Describi: vertere modum formidine fustis,
Ad benè dicendum, delectandumq; redacti.

Non absimili ferè pœnâ jure Can. coërcentur sceleratissimi illi Calumniantes & pasquillantes *per c. 1. C. 5. Q. 1.* ibi: *Qui in alterius famam publicè scripturam aut verba contumeliosa confinxerit &c. flagelletur, & c. 3. d. C. 5. Q. 6.* ibi: *verberibus meruit castigari.* Aliâ ex SCto pœnâ *in l. 5. §. 9. ff. de Injur. & F. L* afficiuntur, intestabiles nimirùm redduntur h. e. neque testes esse, neque testamentum condere possunt. *l. 21. pr. ff. de Testib. l. 18. §. 1. l. 26. ff. qui testam. fac. poss.* adeoque pro infamibus & detestabilibus judican-

tur. *Magn. Dn. Struv. Ex. XLIIX. Th. LXIX. Arnold. de Reyger. in Thesaur. Jur. lit. I. n. 96.* quò collimat Jus quoque Canonicum infamiam illis irrogans *per c. 1. & 3. C. 5. Q. 6.* Ingravescente denique hoc crimine capitalis iterùm pœna restaurata est per Const. Divorum Valentiniani & Valentis Impp. *in l. un. C. de Famos. Libell.* quam quidem & hodiè in Imperio nostro Romano-Germanico perennare certum est. *Vid. Const. Crim. Carol. V. Imp. art. 110. ibiq; Matth. Stephan. n. 3.*

Th. II. Cæterùm benè longa Dd. Phalanx est statuentium capitis pœnam, *(qua aliàs pœna sangvinis dicitur, in l. 18. C. de Transact.)* de quâ modò verba fecimus, non semper de ultimo supplicio accipi, sed ad eam quoque pœnam extendi, quæ maximâ & mediâ capitis deminutione Libertatem vel Civitatem adimit, adeoque caput è civitate tollit, quod his accidere solet, qui servi pœnæ efficiuntur. *§. 1. Inst. de Cap. deminut.* h. e in metallum aut ad Triremes *(quo supplicii genere hodiè Venetos aliosq; Maritimos ad plectendos delinquentes uti apud omnes in confesso est)* damnantur, deportantur, aut aquæ & ignis interdictione coërcentur. *l. 2. l. 18. pr. ff. de Pœn. l. 2. ff. de publ. Jud. l. 103. ff. de V. S. Add. Coras. Miscell. Jur. civ. lib. 3. cap. 17. n. 13.* Siquidem verba illa esse restringenda, ac æquitatis intuitu sic interpretanda, ut si crimen in Famoso Libello objectum fuerit capitale, gladiique supplicio dignum, tùnc pœna mortis locum habeat, quod & Imp. Carol. V. in Ord. Crim. art. 110. non displicuit, cujus dispositio in foro etiam Sax. observatur. *Vid. Const. Elect. Sax. 44. p. ult. §.* bey diesen allgemeinen Rechten *ibiq; B. Carpz. D. 1. Magn. Dn. Strauch. Dissert. 19. Th. 14. Prænobiliss. Dn. Bechmann. Tom. II. Exoter. Exerc. 7. n. 50. Schnob. Disp. ff. XXIV. Th. II.* ab ipsa nimirum sapientia dictum esse comperimur, maximam veneni sui partem bibere malitiam, & quos aliis fecit compedes, ipsum tandem gestare fabrum. Porrò si crimen objectum non fuerit capitale, mortis quoque pœnam cessare, & reum supplicii similitudine puniri ait *Schneidw. ad §. Injuria de. Injur. n. 3.* Hùc quadrat quod ab Aristotele *in lib. 5. Ethic.* memoriâ proditum est: Fuisse nimirum veterem quandam Rhadamanti de talione legem, ut quod quis alteri fecisset, ipse pateretur; hanc enim illi visam esse legem justissi-

justissimam. Quæ talionis pœna, quam Impp *in l.3. C. Theodos. de exhib. reis.* ut not. *Borcholt. ad §. pœnam autem de Injur. n.2.* pœnam dixêre reciprocam, vetus est calumniæ pœna, quæ & hodiè per expressam Caroli V. Impp. Sanctionem *in* P. H. O. *art. 110.* ut in Th. praeced. diximus, firmo stat æquitatis talo. Nam jure hoc evenit, ut supplicii similitudo Calumniantes ad Vindictam poscat. *l. f. C. de Calumniator.* quippe quod non solum Jure Civ. *§. 7. Inst. de Injur. d. l. f. C. de Calumniator.* & Can. *c. 2. C. 5. Q. 6.* sed & Legibus divinis comprobatur, ut rerum ille divinarum & humanarum consultissimus Moses annotavit *Exod. 21. v. 23. & 24. Add. Matth. 5. v. 37. Marc. 4. v. 24. Luc. 6. v. 38.*

Th. III. Utut autem de rigore Juris capitali sententiæ ex *d. l. un. C. de Famos. Libell.* subjugetur Famosi Libelli reus, Judici tamen probè perspiciendum est, ne quid aut duriùs aut remissiùs, quàm causa requirit, constituatur. *l. 11. pr. ff. de Pœn.* cum pœna semper sit commensuranda delicto. *c. 5. §. præmissis de Pœn. in 6. l. 31. ff. ad L. Cornel. de fals.* & qui graviùs peccat, graviùs puniri debeat *l. 1. §. 2. ff. de abig. d. l. 11. ff. de Pœn.* ideoque pœnam æstimationis appellitat ille Juris civilis Apex Papinianus *in l. 41. ff. de Pœn.* Verum enim verò:

——— ——— ——— ——— *Adsit*
Regula peccatis, quæ pœnas irroget æquas,
Nec scuticâ dignum horribili sectere flagello.

Ut dulcissimus ille Lyricorum Phænix Horat. *lib. 1. Sat. 3.* non in eleganter canit, hinc cum ratio in condemnatione personarum sit habenda *l. 173. ff. de R. J.* Reos non indifferenter & æqualiter puniri, sed pro ratione circumstantiarum arbitrariam quoque sufficere pœnam communi Dd. calculo receptum est. Quod procedit (1.) in inventore & propalatore *B. Carpz. in Pract. Crim. p. 2. Q. 98. n. 21.* (2.) In affigente, si pœnitentiâ scilicet ductus libellum ante divulgationem refigat. *Idem d. l. n. 58. & p. 4. C. 44. D. 2. n. 8.* (3.) In eo qui nomen Pasquillo subscripsit. *Idem d. Q. 98. n. 28. Prænobiliss. Dn. Bechmann. Tom. II. Exoter. Exerc. 7. n. 51.* (4.) In eo qui delictum sponté fatetur, erranti enim medicina est confessio. *Idem Carpz. d. l. n. 59. & p. 4. C. 44. D. 2. n. 9.* (5.)

In

In eo qui delictum objectum probat. *Schnob. Disp. ff. XXIV. Th. XI. Carpz. d. Q. 98. n. 40* P. H. O. *art. 110 in verb. finalib.* Nach Ermessung des Richters. Præterea & ob alias circumstantias hodiè plerumque mitiùs in causa hujus criminis pronunciari docet. *Idem Carpz. d. l n. ult. Magn. Dn. Struv. Ex. XLVIII. Th. LXX.*

TH. IV. Sed cum indubium sit teneri non Autorem tantùm, sed & eos qui consilium, & opem in evulgando Pasquillo cooperativam præstiterunt. §. 1. §. 11. *Inst. de Injur. l. 5. §. 9. l. 11. ff. eod. Bernhard. Sutholt. Dissert. 16. aph. 66.* non inconvenienter hic quæritur: Num si plures hoc in crimine sint delinquentes, si v. g. alter libellum componat, alter scribat & alter affigat, in populum spargat aut alio quocunque modo divulget, singuli teneantur? Atque toto corpore in affirmativam descendimus sententiam fulti *l. 7. §. 5. ff. de Jurisd. Add. Arnold. de Reyger. Thesaur Jur. lit. I. n. 115.* At enim verò injuria tantò major est quantò à pluribus admissa est, & tot sunt injuriæ quot sunt personæ injuriam facientes. *l. 34. ff. de Injur. & F. L. l. 9. ff. de Jurisd.* adeoque unumquemque Autoris instar puniri certum est, unusquisque enim doli sui sufferat pœnam *l. 15. ff. de Tutel. & rat. distrah. Schnob. Disp. ff. XXIV. Th. VIII.* Quinam autem ex Const. Impp. *in l. un. C. de Famos. Libell.* teneantur ex iis quæ supra de Forma committendi hanc injuriam Cap. II. Th. VII. diximus, facilè colligi poterunt.

TH. V. Huc usque de pœna Famosi Libelli pro instituti ratione dixisse sufficiat, porrò de Remedio ad vindicandum hoc delictum, sive de Actione dispiciendum nobis erit. Actio itaque Famosi Libelli (*quæ propriè Accusatio dicitur, cum Actionis vocabulum ad actiones civiles specialiter pertineat. Vid. Magn. Dn. Struv. Ex. XLVI. Th. LIIX. & ibi alleg. Dn. Franzk. Exerc. 13. Q. 1. n. 10.*) Quæ ex Lege, SCto & Sacra Constitutione proficiscitur (*uti videre est ex l. 5. §. 9. & 10 ff. de Injur. & F. L. L. un. C. de Famos. Libell.*) est personalis *§. 1. Inst. de Act.* Civilis, pœnalis *§. 18. Inst. eod.* (*Sive unico vocabulo criminalis*) perpetua, *pr. Inst. de perp. & temp. Act.* quæ competit non tantùm illi, cui injuria immediatè est illata, sed & iis, ad quos per consequentiam pertinet. *§. 2. & seq. Inst. de Injur. l. 1. §. 5. ff. eod.* non tantùm

adversus

adversus eum, qui ipse injuriam intulit, sed & cujus consilio aut ope facta fuit injuria. *§. 1. §. 11. Inst. eod. d. l. 5. §. 9. l. 11. ff. eod. Bernh. Sutholt. Dissert. 16. aph. 66.* Sed quæritur an illa quoque actio heredi & adversus heredem competat? Resp. utrumque negando *per l. 13. pr. l. 15. §. 14. ff. eod. l. 32. pr. ff. ad L. Falcid. l. 1. §. 1. in f. ff. de priv. delict.* (1.) quia per mortem vel Rei vel Accusatoris actionem quoque extingui dicitur *in l. f. C. si Reus vel Accus. mort. fuer.* (2.) quia in pœnam heres non succedit *l. 22 ff. de Nov. oper. nunc. l. 16. §. 2. ff. quod met. caus. l. 12. C. de Pœn.* sed noxa caput sequitur *l. 1. §. 2. ff. de privat. delict.* & aliàs pœnales actiones adversus heredes nunquàm competere manifestum est *ex l. 88 ff. de R. J. l. 15. C. de furt.* quo & facit *text. express. in* **Landr.** *lib 2. art. 17. in pr. ibi:* **der Sohn antwortet vor den Vater nicht / wenn er stirbet / was er ungerechts gethan hat.** nisi lis cum defuncto fuerit contestata. *d. l. 13. ff. de Injur. & F. L.* quia scilicet per litis contestationem in judicio quasi contrahitur, adeoque actio hæc actionis instar ex contractu in heredes transire dicitur. *Vid. Magn. Dn. Struv. Ex. XLVI. Th. LXXXII. & seqq.*

Th. VI. Prætereà cum de omni Injuria eum qui passus est vel criminaliter, vel civiliter agere posse pateat *ex §. 10. Inst. de Injur.* Actoris arbitrii est an Actione Famosi Libelli experiri, an verò injuriarum actionem vel civiliter, vel criminaliter intentare malit. *Prænobiliss. Dn. Bechmann. Tom. II. p. 2. Exoter. Exerc 7. n. 52.* Cuicunque enim plura Juris succurrunt Remedia quocunque uti velit, potest. Sed si prius vel criminaliter vel civiliter injuriarum agat, Famosi postea Libelli Actionem instituere nemo potest, & contà institutâ Actione Famosi Libelli non habet regressum ad actionem injuriarum. *l. 6. in f. ff. de Injur. & F. L. Schnob. Disp. ff. XXIV. Th. X. B. Carpz. p. ult. C. 44. D. 5. n. 7.* cum omnes hæ ad vindictam tendant actiones. *per l. 2. §. 2 ff de Collat. Bon.* ubi dicitur: *Injuriarum actionem magis vindictæ quàm pecuniæ habere persecutionem. Add. Magn. Dn. Struv. Tract. de Vind. priv. c. 10. aph. 12. n. 2.* Cæterùm cum magnum nobis adhuc restare videatur arandum æquor, fusiùs illas injuriarum actiones persequi nostri nunc instituti non est. Videre licet *Schneidew ad §. pœna autem & §. in summa de Injur. A. Gail. lib. 1. Obs. pract 65.*

& Arnold. de Reyger in Thesaur. Jur. lit. I. à n. 88. usq. ad n. 119. ubi hanc materiam doctè tractatam invenies.

TH. VII. Aliud quoque Remedium quò aliàs lubricum linguæ & calumniantium impudentem audaciam refrenare possumus, moribus ex novissima Imperii Constitutione *per Ordin. Cam. Imper. 2. Tit. 28. §.* **und sonderlich setzen etc.** est introductum, Actio nimirum ad Palinodiam sive recantatoria, **da man auff einen offentlichen Wiederruff klaget/** *Dn. Brunnem. Exercit. Justin. 25. ad §. 7. Tit. de Injur. 4.* de illa quid habendum, utrum & cum actione Famosi Libelli cumulari possit, cum *B. Carpz. p. 4. C. 44. D. 6.* in medio relinquimus. Facit pro sententia nostra *l. 41. ff. de Pœn.* ubi dicitur: *delictum unum variis æstimationibus non coërceri.* Sed mittimus hâc de re verba chartis odiosa superbis, idque quod minus improbandum in transitu apponere lubet, apud Polonos gravissimam & infamiæ plenam haberi mendacii retractationem, quæ publicè latratu canino fieri docet, *Nicol. Henel. ab Hennenfeld in Otio Vratisl. cap. 18. ex Mart. Cromer. lib. 15. Hist. Polon. in Gnavossio Palevicino Succamerario Cracoviensi,* quod Reginam apud Maritum Regem adulterii cum Gvilielmo Austriaco insimulasset, sed quæ dixerat, neque probasset, neque dixisse se negare posset, ex decreto judicii damnatus fuit, ut se mentitum esse clarâ voce & latratu subter scamnum edito profiteretur. Quam eandem calumniæ pœnam in simili causa paulò post subiisse Clementem quoque Mosurovium Castellanum Viliciensem & Præfectum Cracoviensem, eundem Autorem lib. 16. scriptum reliquisse, testatur. *Idem ibid.* In aliis autem locis hanc recantationis formam observari *Matth. Berlich. p. 4. Concl. 62. n. 307. & Gothofr. Fiebig. in Process. Membr. II. Sect. III. §. 6.* testantur. Injuriarum scilicet damnatus in loco judicii ore, manu propriâ percusso, injuriam revocare atque mentitum se fuisse palàm dicere cogitur, quod si detrectaverit, tunc carnifex aut lictor ore ejus percusso injuriam ejus nomine recantat. *Add. B. Carpz. in Pract. Crim. p. 2. Q. 94. n. 21.*

TH. VIII. In Th. V. hujus Membri dixisse memini non solùm illi, cui injuria immediatè fuit illata, sed & iis, ad quos per consequentiam pertinet, actionem dari, hinc obiter notandum, si

uxori alicujus facta fuit injuria quadruplicem interdum actionem oriri, ut tradit *Schneidw. ad §. patitur autem de Injur. n. 11.* Nam actionem instituere potest. (1.) Ipsa uxor *l. 1. §. ult. ff. eod.* (2.) Ejus maritus *d. l. 1. §. ult. ff. eod.* sed non contrà, si maritus injuriis fuerit affectus, uxor mariti nomine agere potest, defendi enim uxores à Viris, non viros ab uxoribus æqvum est. §. *2. Inst. de Injur. l. 2. ff. eod.* nisi injuria directò uxorem quoque contingat, v. g. si marito in libello objiceretur, eum esse Lenonem, Cornutum s. Maritum meretricis. *Vid. Brunnem. Exercit. Justin. 25. ad §. 2. Tit. de Injur. 4. & Schneidw. d. l.* (3.) Ejus pater *d. l. 1. §. ult. ff. eod.* & denique (4.) Ejus Socer *§. 2. Inst. de Injur. l. 1. §. 3. ff. eod.* Neque unius actio per actionem alterius consumitur. *d. l. 1. §. ult. l. 41. ff. eod. Schneidw. d. l.* In summa autem hic sciendum, actionem Famosi Libelli competere omnibus, qui per famosum ejusmodi Libellum injuriâ sunt affecti, hinc cum inhumana illa veteris servitutis conditio inter Christianos hodie sublata, & communis omnium libertas sit, & servos nostros agere posse constat. Neque per se tantùm, sed & per alios, puta per Procuratorem, Tutorem, cæterosque qui pro aliis intervenire solent, agere quis potest. *l. 11. §. 2. l. 17. §. 19. ff. de Injur. & F. L. l. 42. §. 1. ff. de Procurat.* P. H. O. *art. 13.* ibi: Soll der Anklåger oder sein Gewalthaber. An verò & per Procuratorem quis excipere possit, maximè dubitamus. Atque ità quotidiè ferè in Scabinatibus pronunciari solet: Daß angegebener Defensor nicht zulåßlichen/ sondern es ist Angeklagter auff anderweit fürgehende Ladung in eigener Person zu erscheinen/ und auff erhobene Anklage sich einzulassen / zu antworten und Litem zu contestiren schuldig/ V. R. W. *Conf. latius B. Carpz. Pract. Crim. p. 3. Q. 105. n. 42. & seqq.* In terris quidem Sax. Procuratorem hac in causa tàm à parte rei conventi, quàm actoris admitti testatur *Schneidw. ad §. in summa de Injur. n. 12.* secùs tamen de Jure communi civili dispositum est, cùm in iis scilicet causis, ubi pœna corporis afflictiva locum habet, Procurator non nisi ad allegandas absentiæ causas admittatur. *l. pen ff. de Publ. Jud. B. Carpz. p. 4.*

cher Anwald in jure permissum est, *per l. f. iuf. C. de Injur. ibid. Gothofr. in Not.*

TH. IX. Hactenus Remedia, quæ ad vindicandam injuriam Injuriato succurunt judicialia, explicitum dedimus, super est & aliud remedium extrajudiciale, quod moribus introductum est, vacaturque Retorsio, Recriminatio, Injuriarum Relatio germ. abgedrungene Ehren-Rettung oder Retorsion-Schrifft/ quod nihil est aliud quàm Vindicatio quâ injurias in eum qui illas in nos intulit regerimus. *Magn. Dn. Struv. Tract. de Vind. Priv. c. 10. Aph. 2. 3. & 6.* quâ occasione jam quæritur an & in causa Famosi Libelli locum habeat Retorsio? Atque licet in verbalibus saltem injuriis illa regulariter obtineat, nihilo seciùs tamen, injuriam scripto illatam scripto rursus retorqueri posse affirmat. *Idem d. l. Aph. 6. n. 4.* Nec obstat, quod in Th. VII. Membr. I. Famosum Libellum descripserimus injuriam absque Autoris nomine scriptam, ex quibus hanc fortè sequelam quis colligeret: Cujuscunque nomen in Famoso Libello vel omissum vel occultatum est, contra eundem non potest retorqueri. Aqui. Ergò. Ratio enim in promtu est quod Retorsio non sit valida, nisi contra certam aliquam Personam fuerit concepta, ut probè notat *Matth. Ber. p. 5. Concl. 64. n. 33.* sed iterum cum Magn. Dn. Struv. Resp. Licet nomen autoris in Famoso Libello non sit appositum, attamen si de Autore Libelli alias certò constet, omninò Retorsionem in eum dirigi posse certum & æqvum videtur; Nemo enim gravatur, nec justè indignatur, qui quæ ipse torserit, in se patitur tela retorqueri *l. 1. §. 1. ff. quod quisq. Juris. B. Carpz. p. 3. C. 38. D. 1. n. 8. Magn. Dn. Richt. p. 1. Decis. 92. n. 4. ubi n. 12.* hoc modo in Dicasterio Jenensi Mens. August. A. 1605. ad requisitionem Caspar Müllers zu Saalfeld/ responsum fuisse testatur. Hat D. E. eine Famos-Schrifft an Rath zu Saalfeld wider euch abgehen lassen *sub. lit. A.* darauff ihr die Retorsion-Schrifft *sub. lit. B* hinwiederumb gethan/ob nun wol D E fürgiebet / daß ihr der Sachen zuviel gethan / so seyd ihr doch solcher schrifftlichen Retorsion nach Ordnung der Rechte zur Defension eurer Ehren wohl befugt gewesen. V. R. W.

TH. X. Nunc ad Actionum contraria seu quomodo aboleantur,

leantur, animum applicare nobis convenit. Tolluntur itaque Actiones (1.) Morte ejus, qui injuriam vel intulit, vel passus est. *l. 13. l. 15. §. 14. ff. de Injur. & F. L.* ante Litis tamen contestationem *d. l. 13. ff. eod. l. 10. §. 2. ff. Si quis caut.* (2.) Remissione *Schnob. Disp. ff. XXIV. Th. XII.* Sive expressâ, sive tacitâ, ut dissimulatione seu familiari conversatione *B. Carpz. p. 4. C. 46. D. 8. n. 2. & seqq.* Facit *Gloss.* in **LandR.** *lib 3. art. 31. §.* **diese zwo** Instantien &c. ubi dicitur **mit spielen/ essen/ und trincken/ und mit andern freundlichen Geberden und Gemeinschafften/ die einer mit einem pfleget/ damit er Freundschafft hat/ wird die** Injurien **auffgehoben.** *Add.* **Schultz** *Synops. instit. de Injur. lit. K.* Sed quia si remisi alicui injuriam & ejus actionem, nonnè inquisitorius obtinebit Processus? Resp. Licet in causa Famosi Libelli tanquam in privato delicto regulariter non inquisitoriè, sed ordinariè, intentatis nimirum actionibus procedatur, quod in Provinciis præsertim Saxoniæ Electoralibus propter expressam Sanctionem Electoralem de Anno 1612. Sub. Tit. **von** Justitien**-Sachen** *n. 5. vers.* **dargegen wenn ein** Privatus &c. observari ait *B. Carpz. p. ult. C. 42. D. 4.* Veruntamen non obstat, quo minus Judex ex officio contra reum inquirere possit, ut ei pœnam fisco applicandam imponat. Facit *l. 5. §. 2. ff. ad L. Jul. de vi publ.* quia ex injuria alicui illata duplex oritur actio, quarum altera injuriato, altera Reip. datur. *l. 9. §. 5. ff. de Public. & Vectig.* atque ità per injuriæ remissionem non tollitur injuria Reip. facta. *Vid. Arnold. de Reyger. Thesaur. Jur. lit. I n. 115.* Ex his judicem Accusatore non existente, Reoque præsente per inquisitionis viam utique procedere posse, rectissimè infertur. Isto animo est *B. Carpz. d. C. 42. D. 4. & in Pract. Crim. p. 3. Q. 107. n. 23. & seq.* (3.) Præscriptione, ubi obiter notandum, quod de Jure civ. actio ex Famoso libello descendens sit perpetua, & regulariter 20. an-

Famosum Libellum præscribi, sancitum est *per Sereniss. Sax. Elect. Augusti Novell. p. 4. Const. 46. §.* dergleichen ist es auch ubi dicitur. Daß die Famos-Schrifften auff Sächs. Boden für und innerhalb 30. Jahren Jahr/ und Tag nicht præscribiret und verjähret werden mögen. *Vid. B. Carpz. p. 4. C. 44. D. 4. n. ult. & in Pract. Crim. p. 2. Q. 98. n. 53.* Schultz *Synops. Instit. de Injur. lit. I.* Plures modos quibus injuriæ aboleri solent, prodiderunt *Schneidw. ad §. final de Injur. n. 3. Magn. Dn. Strauch. Dissert. 19. Th. 15. & Arnold. de Reyger. in Thesaur. Jur. lit. I. n. 113. & 114. ad quos B. L.* remittimus:

Caput IV.

De Affinibus seu Cognatis Famosi Libelli.

Th. I.

POrtum ferè approperantibus & vela nobis contrahentibus ea, quæ effectus Famosi Libelli habere videntur, propriè tamen, & in se considerata Famosi Libelli non sunt, sed affinitatem seu Cognationem tantummodò quandam cum ipsis habent, brevissimis attingere operæ pretium duximus. Suntque sequentia: (1.) Pictura famosa. (2.) Opera sculptilia, item fusoria, plastica & Criptica, quibus addere lubet (3.) Literas diffidatorias. Quod si enim Pictor, Sculptor seu Statuarius & Plastes in notam alicujus aliquid composuerit, æquè ac Pasquilli Inventor actione & pœnâ Famosi Libelli *ex l. un. C. de Famos. Libell.* illos teneri elucescit *ex l. 5. §. 10. ff. de Injur. & F. L. ibiq. Gothofr. in Not. Vid. Ord. Polit. de Anno 1577. Tit. 35.* von Buchdruckern / Schmäh-Schrifften/schmählichen Gemählden / Gedichten / und Anschlägen. R. A. *de Anno 1548. Tit.* von Schmähschrifften. §. Ferner setzen und wollen *verb.* desgleichen auch gemahlt/geschnitzt/ gegossen oder gemacht. *Add. Constit. Elect. Sax. 44. p. 4 §.* Wie die Schand-und Famos-Schrifften zu straffen *in verb.* und ist solches in der Reichs Policey-Ordnung auff die Schand-Gemählde und Gemächte erweitert/und im jüngsten Speyerischen Abschied An. 1570. publiciret wiederum erneuert ꝛc. *Magn. Dn. Struv. Ex. XLVIII.*

Th.

Th. LXVII. Dicitur enim pictura non aliud quàm Poësis tacens; Poësis verò pictura loquens tàm sunt sibi invicem affines ait *Cornel. Agrippa de incertitud. & Vanitat. Scient. & art. cap. 24.* & sicut carmine famoso expresse seu scripturâ; ita picturâ famosâ tacitè seu notis & sine scriptura ad infamiam alicujus aliquid fingitur, excogitatur, proponitur. *d. l. 5. §. 10. ff. eod. ibiq; Gothofr. in Not.* Hinc est quod pudenda vel cornua ad ostium & fenestras alicujus depicta famosorum instar Libellorum habeantur, teste *B. Dn. Hahn in Not. ad Wesenb. π. ff. de Injur. n. 19. circa fin.*

Th. II. Cornua autem illa quid indigitent, cui pepo cordis loco non est, neminem ignorare existimamus, scilicet Cornutum, h.e. hominem matrimonii sui subsessorum patientem, quam vocem valde odiosam & injuriosam apud Lusitanos Indosque esse, docuit ille dum vixit *Nobilissimorum doctissimus, doctissimorumque Nobilissimus Dn. Nicol. Hennel. ab Hennenfeld in Otio Vratisl. c. 47. Apud Lusitanos Indosq;*, inquit, *probri summi nota est, si quis aliquid vel re vel specie cornutum habeat, aut cornua monstret, janua affigat, alive modo proferat, quippe cum vulgari elogio Cornutus habeatur, quem prostituta uxoris libido infamat.* Hinc & Judæos nos ridere & execrari, quoties Mosen in templis nostris cornutâ facie quasi Diabolum quendam aut uxorem ejus adulteram fuisse depictum vident, in prælectione quâdam extraordinaria cujus titulus CORNUTUS MOSES erat, erudiendæ juventutis quondam meæ artifex & Præceptor dilectissimus, ex nunc verò ad Templum, quod Vratislaviæ est, Elisabethanum, Ecclesiastes plurimùm reverendus, Consistorii Adsessor gravissimus, Sacrarumque Literarum Professor dignissimus, Patronus meus summâ animi observantiâ jugiter colendus Dn. M. Fridericus Viccius disertè quondam testatus est.

cum reverâ civitatis mores & uxorum, quas ipse corrumpebat, lasciviam notaret. Verùm cum amplius hac in re indagare nostri nunc moliminis non sit, hisce acquiescimus. Hoc adhuc saltem notaverim, quod moribus nostris hodiernis injuriarum teneatur & ille, qui malô aliquem animo BONUM HOMINEM dixerit, cum & eâ appellatione maligne acceptâ in Idiotismo Gallorum & Italorum CORNUTUS significari soleat. *Idem B. Nicol. Henel ab Hennenfeld d. l.* testis est. *Add. Gothofr. in Not. ad l. 1. §. 1. ff. de Injur. & P. L.*

TH. IV. Accessum facimus ad literas diffidatorias, quæ germanicè dicuntur **Absag-Fehd- und Feind-Brieffe** earumq; Naturam exploraturi dicimus, nihil aliud esse quàm denunciationes animi hostilis, quibus inimico suo quis persecutionem extremam Vitæ, sangvinis aut bonorum denunciat *Vid. B. Carpz. Pr. Crim p. 1. Q. 37. n. 16. Speidel. in Specul. Juridico-Politico-Philolog. in verb.* **Absags- und Feind-Brieff** *& quos ibi allegat Bocer. in Tract. de diffidat. cap. 1. & Nicol. Myler. in Addit. Dissert. Rümelin ad A. B. 6. Th. 8. lit. A.* Quæ literæ tanquàm mera in se convicia continentes cum Famosis quoque Libellis affinitatem quandam habere videntur, prout Scabinos Lipsienses contra H. S. zu Quedlinburg Mens. Aug. 1617. respondisse testatur *B. Carpz p. ult C. 44. D. 1. n. 13 Hisce verbis*: Da nun der Gefangene vor öffentlich gehegtem peinlichen Halßgerichte auff seinem gethanen Bekäntnüß freywillig verharren/ oder des sonsten wie Recht überwiesen würde/ so möchte er wegen seiner begangenen und bekandten Mißhandlung/ daß er nemlichen obgedachten Vehdes-Brieff/ so auch für ein Paßquill und Famos-Schrifft zugleich zu achten und zu halten/ darinnen er drey Personen eures Mittels aus dem Rath gantz übel angegriffen/ und denselben hochsträfflich Thaten zugemessen/ also/ wenn sie derer überführet werden könten/ sie/ vermöge der Rechte/ schwere Todes-Straffen verwürcket hätten/ vorsetzlichen schreiben lassen/ und so eben selber angeschlagen/ vermöge Käiser Carls des fünfften und des Heil. Röm. Reichs peinlichen Gerichts Ordnung auch Inhalts Churfürstlicher Sächs. Constitution mit dem

Schwerdte

Schwerdte vom Leben zum Tode gestrafft und hinge-
richtet/ und der Cörper folgends andern dergleichen Miß-
händlern zum Exempel und Abscheu / damit sie von der-
gleichen Vehde und Paßquill-Schreiben geschrecket und
abgehalten/ auff ein Rad geleget und geflochten werden.
V.R.W.

Th. V. An verò pari cum Diffidatore pœna puniatur scribens literas illas diffidatorias, quæritur? Pro negativa sententia facere videtur non tantùm communis illa Legistarum & CC. opinio, haud eandem cum principali pœnam auxiliatorem sustinere statuentium, sed & *Const. Elect. Sax. 14. p. ult.* §. **dieweil** *ubi habetur*, **daß derjenige/ welcher einen Fehde-Brieff schreibet/ nicht mit dem Schwerdt/ sondern allein mit Staupen-schlägen zu straffen.** Ex adverso autem & pro affirmativa facit *text. rotundus & perspicuus in l. 1. C. ad L. Cornel. de Sicar.* ubi dicitur, quod crimen contrahatur, si nocendi voluntas intervenerit; jam autem & diffidatori, & hujusmodi literarum Scriptori nocendi voluntatem esse negabit nemo. Ergò. Accedit quod facientem & consentientem parem constringere pœnam dicatur *in l. 6. ff. ad L. Pomp. de Parricid.* & libellorum hereticorum famosorumq; scriptores ut suprà in Th. V. Cap. II. monuimus Autorum instar puniantur, ut itaque Argumento à minori ad majus ducto hujusmodi literarum Scriptorem capite diffidatoris instar plecti minus malè inferatur, & id maximè si opem diffidatori cooperativam præstiterit, puta literas quoq; illas affixerit, quam sententiam confirmat insuper Illustrissimus Saxo in *d. Const. 14. p. ult.* §. **dieweil** *in verb.* **Er hätte denn mit der That zur Vehde geholffen.** Et hæc quidem sententia eò magis amplectenda, quod non modo & Juris civilis autoritate, scilicet *l. 51. §. 1. ff. de furt. l. 20. C. eod. l. un.*

sich also zu Absags-Brieffen zuschreiben / ziehen und vermögen lassen / oder desselben unterfangen thäten / nicht weniger / als der Diffidant nach Inhalt unserer und des Reichs Ordnung mit unnachläßlicher Straffe angesehen und gehalten werden sollen. Quo & facit R. A. *de Anno* 1555. §. Solches alles abzustellen ibi: So sollen Unterschleiffer / Enthalter / und Fürschieber mit gleicher Straffe wie die Austreter gestrafft werden. *Add. Speidel. in Specul. Juridico-Politico-Philolog in verb.* Absags- und Feind-Brieff *Rümelin. Dissert. ad A. B. 6. Th. 5. ibiq; Nicol. Myler. in Addit.*

TH. VI. Cæterum differunt literæ diffidatoriæ I. à commi-natoriis (1.) ut genus & species. Omnes enim diffidationes minas esse, ex adverso autem non omnes minas diffidationes esse, palam est. *B. Carpz. Pract. Crim. p. 1. Q. 37. n. 17.* (2.) Objectivè, eò quod hæ offensiones quidem intentent, sed leviores, ac privato saltem inferantur, utpotè, si quis alicui gladium aut pugnam minitetur, oder daß er eine Kugel mit ihm wechseln oder ihn durchschiessen wolle. Illæ verò in publicum sonent, & toti interdum communitati terrorem incutiant, adeoque iis pax publica violetur *Speidel. in Specul. Juridico-Politico-Philolog. in verb.* Absags- und Feind-Brieff *Rümelin. Dissert. ad A. B. 6. Th. 5. ibiq; Nicol. Myler. in addit.* (3.) Ratione effectus. Diffidator enim criminis fractæ pacis publicæ incurrit pœnam, gladioque plectitur, *B. Carpz. d. l. à n. 5. usq; 11.* Minitator autem in carcere tantum tam diù detinendus est, donec idoneam de non offendendo præstet cautionem. *B. Carpz. d. l. n. 79.* II. à Provocatoriis sive Chartello, quippe quæ privatum quoque tantùm concernunt, aliudque nihil quàm injurias aut injuriarum commemorationes & provocationes in se continere solent. Omnes summatim literæ jam prædictæ cognationem habere multam cum Famosis Libellis vel ex eo intelligi potest, quod injurias utplurimùm & contumelias eructare illarum sit natura.

Tantùm pro temporis ratione ingeniique modulo in publicum hæc de materia protulisse sufficiat, possem quidem immenso controversiarum campo oblato excurrere longiùs, sed cùm Davus sim, non Oedipus qui omnes Juris nodos, legumque ænigmata solvat, moenia pro opibus nostris effecimus, cœteraque iis, quibus

& otii,& doctrinæ,& judicii uberior data est copia relinquimus.
Nunc igitur

—— —— *Fessæ date serta carinæ*

Contigimus portum quò mihi cursus erat.

DUm benè, JAUDITZI, sartoria scommata stringis
Pasquini, hinc meritò laus tibi vera venit.

Singularis benivolentiæ testandæ ergò cum voto omnigenæ prosperitatis adponeb.

PRÆSES.

Conterraneo suo amantissimo, & legaliter erudito, maximeq; Industrio,

DN. JAUDITZ,

Ob vitæ Innocentiam, ac morum Integritatem satis commendabili

EUGE ! BONUM FACTUM FELICITER

acclamat

DANIEL BEYER.

DUm quæris FAMAM scriptis quam improbi perdunt:
PATRIA TE Civem laudat; approbat Alma Themis.

LAudibus æternis cumulandus, *Fautor amande*,
Dum rem per magnam discutis ore tuo.
Hinc laudes merito tribuit tibi nostra Salana,
Hinc decus ad patriam, venit amice tuum.
Fausta precor, pergas, ac grator pectore toto,
Quò labor hic referat mille brabea Tibi.

Wann du von Schrötern selbst der Rechte Grund
gehöret/
Daß zeig't dein kluger Kopff durch diß gelehrte Blat/
In dem du dich bemüh'st hier eifrigst zuverfechten/
Wie niemand andern soll Schmach/ Schand/ und
Schimpff anthun/
Wie solches hart bestrafft wird in Astrèens Rechten
Daß ieder friedlich kön' in seinem Stande ruh'n.
Ich wünsche Glück darzu und stetes Wohlergehen
Und daß du allzeit mögst bey Themis Volcke stehen.

Gottfried Bollner von Breßlau
B. R. B.


SIc in famosos *inquiris*, AMICE, Libellos;
Ut famosa TIBI Laus *fit, & inde Decus.*

Hocce Dominum Respondentem veneratur
Christophorus Pricelius, L.L.Stud.

DU giebest zu versteh'n/ geliebter Themis Sohn/
Was du gelernet hast auf unserm Saal Aön,
Weil dein geübter Kiel verdämmt die Läster-Mäuler/
Die ihren Nechsten schmäh'n/ und zeig't wie Straff'
und Schwerdt
Die grimme Nemesis auff ihre Häubter kehr't;
Wohl! fahre fort/ man baut dir schon viel Ehren-Pfeiler.

Gegen seinem viel-werthen Freunde und Contubernali wolte hiermit seine Schuldigkeit ablegen

Malachias Petsche aus der
Alten-Marck/ LL. Stud.



FINIS.